


Porro, quod omnis conjunctionis vinculum esse solet, summa Conjugii Vestri æqualitas est; Paritas enim inter Vos est non fortunæ solum, sed & morum; ambo in ætatis flore constituti primos amores, integros affectus communicatis; magnum benevolentiae constanter retinendæ incitamentum. Reperio apud Veteres, moribus Romanorum obtinuisse, ut quoties inter Virum & Uxorem aliquid jurgii interceserat, in Sacellum DE Æ VIRI-PLACÆ, quod in Palatio erat, venirent, ibique invicem locuti quæ voluerant, contentione animorum depositâ concordēs reverterentur. VOBIS, CONJUNCTISSIMI AMANTES, non discordiæ componendæ, quæ nulla sit, sed Pacis quotidianæ ac Domesticæ custodiendæ Sacellum TORUS GENIALIS esto, nec aliud inter Vos certamen exurgat, quàm honestissimum illud mutuæ charitatis, quam ipsum tempus augebit. Sic antequam proventus suos Campi felices iterum produxerint, auspiciatissimi CONJUGII fructus lætantibus AVIS, exultantibus VOBIS, gratulantibus cunctis, videbimus, indeque nascentur, qui mixto CROMAYERORUM ARTZATIORUMque Sangvine egregiam Posteritatem constituent, Virtutemque ac Gloriam MAJORUM, ævo suo vivis Imaginibus tradant.



GENEROSI, MAGNIFICI STRENUIque  
 VIRI  
 AUGUSTINI HENRICI  
 CROMAYERI,  
 à Groß-Sagewitz, in Bukowien  
 & Grunaiß/  
 TOPARCHÆ,  
 In Augusta Vratislaviensium Republica  
 SENATORIS PRIMARII,  
 Rerumque ibidem militarium  
 COMMISSARII,  
 XXVII. Maji, A. C. M. DC. LXIX,  
 Ætatis LVII,  
 Humanis rebus exempti,  
 VII. Quintilis, nobili splendidissimarum exequiarum ritu conditi  
 MEMORIÆ POSTHUMÆ  
 SACRUM MONUMENTUM  
 AUTORE  
 MARTINO HANKIO,  
 In Gymnasio Elisab. Philos. Practicæ,  
 Histor. & Eloq. Professore.




VRATISLAVIÆ,  
 In Hæredum BAUMANNIANORUM Officina, typis  
 exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI, Factor.

LIBRARIUS  
AUGUSTINI HENRICI  
CHROMAYERI  
Senatorialis Primarii  
XVIIII  
MARTINO HANRIO



367648



Uanquam in universum mortalium  
genus semper æqualis fatorum potestas est:  
non uno tamen eodemq; modo incumbit no-  
bis, seu vias spectes, quibus ad æterna singu-  
los ducit; seu tempora consideres, quibus  
jam in hos, jam in illos evocandos est pronior. Nam, ut de  
aliis varietatibus nihil dicam, quibus hæc in humanis rebus  
perpetua inconstantia constantia delectari solet; mox in  
virilem, mox in muliebrem sexum inclementior deprehen-  
ditur inevitabilis illa mortis severitas. Alios annos excessus  
puerorum crebrior notabiles reddidit; præsentem senilis  
ætatis frequentior jactura luctuosum facit. Nullus in hac  
amplissima civitate jam superest ordo, qui non aliquod in-  
ter suos canis ac meritis venerabile caput amiserit. Longis-  
simo rerum usu exercitatos viros corporibus suis exemptos,  
cum operantium, tum negotiantium civium conqueritur  
concio. Diuturnis concatenatisq; laboribus pares, partim  
literariæ, partim ecclesiasticæ rei commodis ademptos, eru-  
ditum in Gymnasiis atq; in Templis docentium Collegium  
desiderat. Ipsa illustris Curia duos ex præcipuis Patres, se-  
nio æstimabiles, magistratum, quos gesserunt, eminentiâ  
splendidissimos, publico ereptos consilio luget, tantò in  
mærorem propensior, quantò recentiore malorum præ-  
teritorum memoriam habet, complanatis quidem illis, quas  
geminum vulnus reliquerat, cicatricibus, nondum tamen  
obliterato planè doloris sensu. Tertius agitur annus, quod  
HENRICUM MARCUM PEINIUM, alter, quod ADA-  
MUM WENCESLAUM REICHELIIUM, bene meritos Se-  
natores, hunc inveniendis, illum exsequendis consiliis na-  
tos, mediò virilis ætatis flore conspicuos, Respublica no-  
stra, non sine gravi detrimento, extulit. Pauca dierum heb-  
domades abierunt, cum DAVIDES EBENIUS, tum assiduis  
in commune curis, tum etiam duraturo in Elisabetana Æde  
monumento celebratissimus, septuagenario proximus, æru-  
mnosum

A 2

mnosum

mnosum inter mortales diversorium læto immortalitatis domicilio permutavit. Hujus exequiis Vratislavia necdum erat defuncta, ubi jam in viscera sua descendere novum jaculum sensit, instar editæ rupis, repetito fulminis ictui obnoxia. Etenim, quasi justus & plenus luctus nondum omnes haberet numeros, novissimè quidem, Generosi Magnifici; Viri, AUGUSTINI HENRICI CROMAYERI, primarii Senatoris, funere adaugebatur. Suus cæteris, aut jam fuit, aut in posterum erit præco, per quem posteris famam suam commendet; CROMAYERUS in præsentia, non, quem meretur, sed quem ratio peculiaris excitavit, laudatorem habebit, minus eloquentem, & qui de tanto viro tacere, quam pauca, eaq; ad illustrandam ejus gloriam minus idonea, dicere malit.

Ita quidem cum antiquissimis sapientissimisque; Philosophis censeo, Parentum Majorumque; nostrorum laudem, non nostram, sed alienam esse; addo, cum illorum virtutes deferimus, eandem perperam factis plus turpitudinis, adeo nihil excusationis, afferre: absit tamen, ut diffitear, tum generi haudquaquam degeneri, tum rerum præclaro eventu gestarum dignitati egregium semper addere fulgorem. Quin paternum avitumque decus, instar publicæ facis habeo, cujus præsentia populis terrisq; diem, absentia noctem adducit: cujus serenissimus nitor, in quas incidit maculas, cõspectiores; contra, quicquid per se lucidum irradiat, multò splendidius efficit. Quemadmodum itaq; clarissimis progenitorum vestigiis Strenuus CROMAYERUS noster à teneris institit, sic ad posthumam ejus famam non nihil interest, quâ stirpe, quibus ramis ad culmè suum pervenerit, commemorare. Tacito annorum decursu jam tertium sæculum volvitur, postquam CROMAYERIANA gens honoris equestris radios, multò ante conspicuos, novâ luce ad posteritatem cæpit transmittere. Hactenus LEONHARDUS CROMAYERUS, Hengersdorffii, Schatzenhemii, & Moissæ Toparcha, rebus suis in Lusatiæ solo idoneam sedem ratus, in familiæ propagationem, à reparatâ per Christum salute anno clò CCCC LXII, REGINAM

SVE-

SVEVIAM sibi conjunxerat in matrimonium. Quatuor ex eâ susceperat filios, ubi de transferendo in Silesiam domicilio pridem initum consilium exsecuturus, ejusdem sæculi anno LXXVI, Vratislaviam se cum charitatibus suis recepit. Ibi cum REGINAM uxorem amisisset, Vratislaviensium amicitiam exoptato affinitatis fœdere confirmaturus, aliam toro suo REGINAM applicabat, amplissimi Viri, CASPARIS COBERI, præcipui Senatoris filiam, priori conjugii fœcunditate parum cedentem. Utrumque matrimonium præclaras nostræ Urbi columnas dedit. Nam ex posteriori AUGUSTINUS Curia gubernaculis præfectus est, ex priori GEORGIUS, assumptâ prosperorum dubiorumque sociâ BARBARA WÜSTHUBIA, cum HIERONYMUM, qui se dilectissimum Patri Natum, Patriæ Parentem præbuit, tum ANDREAM, non quidem, Fratris exemplò, Senatorem, Senatoris tamen genitorem, procreavit. Hoc enim & ANNA SCHINDELIA, nobilissimis Parentibus, HENRICUS nascebatur, Patrum Vratislaviensium Collegio, cum superioris sæculi annus LXX ageretur, adscriptus. Hic quoque dignitatis suæ compotem Filium, ex MARTHA UTHMANNIA, HENRICUM reliquit, (cui primus gesti honoris Senatorii annus, decimo sexto, quod à Soteris nativitate numeramus, sæculo ultimus fuit) nostri AUGUSTINI HENRICI Patrem. Tam vetustam atque nobilem, de patrio solo tam multis annis, tam insigniter meritam CROMAYERIORUM profapiam quis ad peculiare Nostri ornamentum haud referat? Non equidem inficias ire possum, fuisse prisca sæcula, quibus nuda Virtus arrisit maximè, quicquid de illis externis & adventitiis decoribus esset. Fuit, cum ab aratro lectus Dictator, ad opus rusticum triumphalis agricola rediit: fuit, cum Reges, cum Imperatores, quanta inopiæ laborumque patientia opiliones, pastores, olitores, milites gregarios egerant, tanta fortitudine prudentiaque nobilissimis gentibus præfuerunt; recto animi habitu, inter immensas blandientis fortunæ illecebras, quam in summæ potestatis summâ licentiâ debitum in modum tractare, supra hominem videtur,

A 3

tur, aut nihil, aut parum immutato, tanquam se tantummodo regendos, non innumeros homines ad arbitrium suum componendos accepissent. At enim vix est, ut antiquissimis illis temporibus proprium genium nostris opponas. Suum cuique sæculo pulcrum & charum est; neque ad veteris ævi mores omnia, velut ad cynosuram, rectè accommodaveris. Sunt immutabilis naturæ nonnulla, de quibus omnium temporum iudicium prorsus idem est, nisi quando à veritate abit; tum verò in erroribus, non in iudiciis, numerandum. Rursus sunt, quæ nullius in se quidem decoris, nullius turpitudinis characterem impressum gerunt, si paulò subtilius philosopheris. Inter hæc, suò locò media, quædam, si rebus alijs applices, majorem minorémve pulcritudinem, pro sæculi genio, adjiciunt. Nostræ quidem ætatis ea indoles, ut quodam ex pluribus ætatibus collecto mistoque temperamento, partim suam unicæ virtuti locum assignet, partim eam in potentissimo, illustri, generoso, honorato sanguine; sub purpura, gemmis, margaritis, auro, argento, amabiliorem ducat. Quin gentem hodiè florentissimam reperias, quæ in præbendis muneribus, non modò ad familiæ dignitatem, sed divitiarum quoque numerum respicit, nihilò secius dignissimis conferre provincias solita. Felicitatem sæculi hujus appelles, cui tam copiosa, tam ubivis obvia virtus contigerit, ut, quam sub elegantiori habitu evehere possit, sub viliori, non deprimat quidem, minus tamen evidentem, minus egregiam habeat, nisi excellentiâ suâ, quicquid in aliis accessorium est, transcendat. Ecquis igitur à præclaris adeo Majoribus multum existimationis ad CROMAYERUM nostrum accedere non putet? Certè rarâ stemmatis præstantiâ pollentem Virum vel hoc nomine inter nobilissimos reponendum, nemo alius negaverit, nisi qui vetustissimis familiis pretium, communi præsentis ætatis, eoque non contemnendis rationibus innitente suffragio tribuendum, non sine hominis, vel invidi, vel insipientis notâ, imminuere sustineat? Neque modicum alacritatis ad Virtutem CROMAYERO, quem insitus quidam spiritus ad celsissimos quosque honores rapiebat, paternæ

avitæque

avitæque laudis memoria contulit. Vix sexenniserat, cum Patris ingemisceret funeri. Ex illò, Matris prudentissimæ, MAGDALENÆ WINSIÆ curâ, Nobilissimorum Virorum, GREGORII ARTZATII & JOHANNIS HAU-NOLDI Tutorum consiliis innixâ, omnibus quidem liberalibus, maximè tamen nobili sanguine ortis ingeniis digna studia prosequeretur, pium doctumque simul Præceptorem, cujus & convictu, & contubernio gaudebat, DAVI-DEM RHENISIUM, nactus. Post hæc ad majora erectus, primùm in Philurea Saxonum, deinde in Altorfina Norimbergensium Academia, in primis civili doctrinâ, juris scientiâ, & quæ ad utramque non exiguum pondus addit, historiarum cognitione animum exornabat. Hunc rebus prudenter gerendis præparaturus, ut crebris exemplis firmaret, non unius gentis terras perlustrasse contentus, ex Daniâ in fœderatum Belgium concedebat. Ibi copiosas eruditorum merces, labore omnibus venales, cum passim expositas, tum maximè in Gröningensium & Lugdunensium Athenæis obvias, admiratus & amplexus, ex singulis fermè locis ditior discedebat. Ad ultimum, Reterodami, uno eoque fortuito cive, plusquam cæteris omnibus nobilitata urbe, subsistebat. Inde solvens, in Angliam cogitabat. Quò contendens, & quadriduis procellis jactatus, & tribus jam ancoris perditis, non multum aberat, quin naufragio periret, quem meliora fata civitatis nostræ clavo destinaverant. Ex Angliâ in Galliam trajiciebat. In hac amplissimam ingressus urbem, Lutetiam, cognitis tot palatiorum generibus, tot genis hominum, tot rerum, quas nequicquam alibi quæras, & pretiosissimarum, & copiosissimarum formis, denique tot legum consuetudinumque rationibus, non urbem, sed Orbis, si non universi, certè Gallici compendium quoddam habebat. In his ut acquiesceret, persuaderi animo nullus patiebatur, in multò plura, multò remotiora intentis discendi cupiditatibus. Ephorum sibi conjunxerat GEORGIUM WOLFGRÜBERUM, Cervimontio in Silesiâ oppido oriundum, exercitati & subacti ingenii hominem, in Galliis unò, septem annis in Italiâ versatum, antequam Nostro pe-

regri-

reginationes suscepturo accederet. Eò duce, comite HERMANNO TARNOVIO, Megapolitano, imprimis ob Hispanicæ lingvæ cognitionem, in itineris societatem assumto, per Bajonam ad Hispanos commigrabat. Per tot agros, tantis viarum difficultatibus, non sine vario periculorum metu, se profectum esse, tum operæ judicabat pretium, cum Madriti regiam Hispanicæ Magnificentiæ pompam observaret; cum in PHILIPPI IV, Hispaniarum & Indiarum Regis potentissimi; FERDINANDI, Cardinalis Eminentissimi, Fratris; BALTHASARIS CAROLI, ad tantum imperium capeisendum suscepti Filii; totiusque splendidissimi Procerum Collegii confessum publicum dimitteret oculos: cum incomparabile Sancti Laurentii Monasterium, PHILIPPI II. sumtuosissimum opus, trutinâ mentis perpenderet. Per Hispaniæ Boeticæ oras, Sarrazam & Barcelloam, in Gallias reversus, tandem regii quoque Belgii provincias curiosis oculis, animo curiosissimo perlustrabat. Jam per Oceanum Germanicum ad Hamburgenses pervenerat, jam reviserat Francofurtanos ad Viadrum cives, cum Poloniæ fines transgressus, Thorunio, Posnania, multisque aliis in transitu conspectis oppidis patriam demum repetiit urbem, & politicis ornatus moribus, & rarâ plurimarum rerum noticia instructissimus. Ab eò tempore paternis prædiis rite administrandis septennium insumsit, ut prudentissimus Patriæ Civitatis Senatus, ingeniorum publico natorum publicus censor, dignum Ordine suo, dignum iis honoribus judicavit CROMAYERUM nostrum, quos superiori sæculo quidem ipsius Avus, præsentem autem Pater, cum laude singulari gestos, non nisi cum vitâ posuerant. Hoc pacto spatiosissimum agendi locum affecutus, in quò præclaras, tum industriæ constantiâ jugi acquisitas, tum peculiari nativitatæ felicitati adscribendas dotes, tanquam in Theatro innumeris spectantibus exposito, palam exsereret, communitatisque partim conservandis, partim in majus provehendis commodis impenderet; quantum ingenio, quantum peritia rerum civilium, quantum denique prudentia posset, satis patefecit. Cres-

scen-

centem Viri autoritatem non parum augebant dignitas, amplitudo, proceritas corporis; quò non tantum imperitis, quos externus membrorum habitus præcipuè moratur, sed etiam virtutum intelligentissimis, spectatissimum Senatorem repræsentabat. Quamvis enim hæc munera, quæ non arte, non labore sunt parabilia, in obscuros etiam plebejosque, viles & abjectos, inflatos, & temerarios homines liberalior Naturæ indulgentia interdum conferat; & si penitus intuearis, nihil in se continere adinadvertas, quò in admirationem sapientiores dare possint; tamen eadem, cum illustrem animum circumdederunt, id omnino præstant, ut, cum ipse multò pulcrius habitet, tum in aliorum oculis tantò magis supra humile vulgus emineat. Quid de morum gravitate commemorem, quâ præcallebat? Quam mox humanitatis mansuetudinisque gratiâ sic temperare, mox in affectatæ severitatis personâ sic intendere didicerat, ut mutatis vicibus, quoties hominum rerumque conditio exigere videretur, se amœniori vultu amabilem, tristiori venerabilem præsentibus sisteret. Quem diversum habitum, ut interdum svadebat prudentia, interdum necessitas imperabat, sic nunquam altero præter causam usus, utrumque, non modo in stabilimentum suæ dignitatis, sed in accedentium quoque utilitatem vertebat, partim amandus, partim metuendus. Errant, qui vel amorem, vel metum, imperantibus sufficere contendunt; quasi Magistratum gerentibus cum unò subjectorum genere commercium sit perpetuum. Bonis semper malos immixtos esse, quis ignorat? Illi amore, hi metu præcipuè in officio continentur. Quin errant, nimis simplices, qui veritatis æternæ judicant, omnium prudentissimos Rerumpublicarum rectores habendos, id agentes, ut nunquam plus formidinis, quàm amoris in civium animis, neque suscitent, neque alant. Equidem amori metum non præfero, satis memor, plus illum voluntarii, hunc violenti habere; illum revera honestis, hunc in speciem pulcris actionibus perpetuum adesse comitem; neque nego, amorem in imperiis potentiolem metu esse; at metum contrâ nunquam debere amori prævalere,

valere, id verò pernego. Cum enim perversissimorum immorigerorumque copia multis partibus superat emendatorum obsequiosorumque numerum, utilius certè societati civili erit, ejus præsidem plus metui, quàm amari: qui, cum amatur ab improbis, ipse improbus est. Absit igitur, ut in CROMAYERO nostro justis de causis multoties adhibitam severitatem inter noevos ponamus, quam sæpe alterius, sæpissimè natura bellici officii provocabat. Quippe non uno eodemque modo de Patria meritis, interdum Scholarchæ, interdum alium magistratum, militarium rerum præfecturam diutissimè omnium gesit. Ut igitur imprimis mansuetiores Literæ, quas puer amaverat, coluerat juvenis, vir æstimabat, humanitate ipsius delectabantur: sic præ cæteris liberior armatorum genius, durius semper, quàm blandius tractandus, ne fortitudinis strenuitatem in ferociam meram verteret, in obsequio, intra modestiam gravitate continebatur. In consiliis acer, bonique communis studiosus, à sententia, quam semel imprefferat animo, non facile discedebat; constantis, & in iis, quæ omnium saluberrima, secum habitans statuit, perseverantis ingenii famâ delectatus. Pietatis, publicos quidem, in Templis Doctores; domesticos verò, in Ædibus suis superstites, reliquit testes. Justitiæ quantus cultor fuerit, Curix potissimum constat, quæ non modò speciminum plurimorum, sed variarum quoque circumstantiarum, ex quibus maximè actiones justæ Senatoris æstimandæ sunt, conscientiam accuratiorem habet. Conspectiori amore juris, ut suus in Republica legibus, præsertim non adeò pridem conditis, constaret vigor, quantacunque licebat circumspessione, laborabat. Itaque transgressores, & notare solebat, &, ne impunitatis licentiâ in majorem audaciam procederent, ad exsolvendas debitas pœnas suo calculo damnare non temere supersedebatur: benè prudenterque censens, communitati positas leges, nisi rarè violentur, solo nomine retento, omnem autoritatem amittere; quam tueri, cum intersit civitatis, inter eos, quos neque amor probitatis, neque communis salutis cura movet, non aliâ

re

re commodius fortiusque stabiliri, nisi pœnarum metu, per se minus efficace, nisi animadversionem aliquando sentiant violatores, cæteri, vel conspiciant, vel audiant. Inter alias in ipso Virtutes, etiam adversus luxum insigne odium emicabat, tanto vehementius in CROMAYERO prædicandum, quanto frequentius hodierna tempestate à liminibus honoratis exsulat. Etenim quam multi, quamvis omnibus modis privati, paulò majoribus facultatibus pollentes, enormi suo suorumque cultu, tanquam non aliunde, quàm ex vestium & ciborum pretio, determinandum sit hominum pretium, existimationis incrementum affectant, neque satis habent, se in publicò spectatissimos esse; domi quoque instrumenta luxuriæ in sumtuosis conviviis ostentant. Ab his alienus CROMAYERUS, nihil indecorum familiæ suæ admittebat; & tamen in corporis ornatu moderationem, in convictu ad certas leges redactam temperantiam non magis commendabat, quam exercebat. Neque hanc ei mediocritatem angusta res imperabat, qui plurimorum victor ex facili erat futurus, si opum abundantia cum iis certare voluisset, qui patere copias, quàm latere malunt. In thesauris suis raram instructissimamque Bibliothecam suam numerabat, quâ delicias animo fatigato dare, novam appetenti lucem circumfundere solebat.

Jam per alterum sæculum claram hac in Urbe familiam CROMAYERIANAM ad ventura tempora provecturus, coelibatui nuncium remittebat, assumptâ primùm ANNA MARIA ISLERIA, eximiis moribus decoratissimâ Puellâ. Hanc non multò ultra biennium amore singulari sociam vitæ complexus, integro triennio luxit amissam: longiore doloris ab exequiis, quàm gaudii à nuptiis sensu. Quam sterili utero, non affectu, conjugem nactus, tandem profligatâ mœroris diuturni pertinaciâ, fecundiores sibi copulavit URSULAM BIERLINAM, nascendi sorte pariter atque multiplici dote fulgentissimam Virginem. Ex hac Filium HENRICUM GEORGIUM, in spem propagandi nominis paterni genitum, acerbo funere puerum extulit;

in so-

in solatium tantæ cladis, florentissimo Filiarum Pari super-  
 stite. Neque parvum justissimo luctui lenimentum at-  
 tulit natu maximæ, URSULÆ MARIÆ, auspiciatissimum  
 conjugium. Quâ sicut Generosum Strenuumque Virum,  
 GEORGIUM FRIDERICUM ARTZATIUM, cognomi-  
 nis, & de publico præclarissimum in modum olim meriti  
 Parentis, inter tres nobis relictos, eruditæ nobilitatis gloriâ  
 præcellentes Filios medium, exoptatissimum sibi gene-  
 rum reddidit: sic nobilissimam ejus antiquissimamque  
 profapiam arcto Affinitatis vinculo suæ conjunxit, in Natis  
 & Nepotibus indissolubili Consanguinitatis nexu, pari lau-  
 de, neque discordi Virtutum æmulatione, posteris sæcu-  
 lis transmittendam. Ita nuper firmavit stemma suum, ali-  
 quot abhinc annis infirmior ipse CROMAYERUS: itaque,  
 cum hic sæpius redeuntis morbi contumaciâ, nullis Medi-  
 corum consiliis superabili, extremum vitæ spiritum edi-  
 dit, non simul illud exspiravit, etiam fraterno sanguine  
 in fulcimentum adhuc calente. At inprimis ex CRO-  
 MAYERI excessu luctum mitigat, quod tantas generi  
 suo ademptus vertex, de se, quamvis non virilem, tamen  
 foemineam, eamque geminam, alteram quidem nuptam,  
 alteram verò nubilem, reliquerit prolem, unde virilem  
 ætas nostra expectet, sed etiam exoptet. Tolerabilior  
 venti rabies, quæ, cum fastigium præcipitat arbori, &  
 in radices & frondes permittit illæsas, ex quibus  
 in nova culmina se possit  
 extendere.



SINGULARIBUS  
 IN PATRIAM REMQUE LITERARIAM  
 MERITIS  
 CELEBERRIMO VIRO,  
**HENRICO**  
**VOLGNADIO,**  
 DOCTISSIMO FIDELISSIMOQUE  
 VRATISLAVIENSIVM MEDICO,  
 QUEM  
 NATURÆ CURIOSORUM  
 IN SACRO ROMANO IMPERIO  
 ACADEMIA  
 COLLEGAM ET ADIUNCTUM,  
 COGNOMINE SIRIUM,  
 HABUIT:  
 ANNO M. DC. LXXXII. DIE JANUARIII III.  
 SUPREMUM FATUM  
 REBUS HUMANIS EXEMIT:  
 JUSTA SOLVIT  
**MARTINUS HANKIUS.**

VRATISLAVIÆ,  
 In Officina BAUMANNIANA Typis exprimebat  
 JOHANNES GÜNTHERUS ROERERUS.  
 ANNO M. DC. LXXXVIII.